Alfonsus dei gratia Rex Aragonum Valencie Sardinie et Corsice ac Comes Barchinone. Dilecto et fideli suis vicario et baiulo Gerunde
vel eorum loca tenentibus presentibus et qui pro tempore fuerint salutem et dilectionem. Ad nostrum noviter pervenit auditum quod licet iudices
ordinarii Gerunde qui in predictis vobis assistunt officiis habeant et recipiant pro eorum labore certa et assueta salaria non a ci-
vibus vel incolis civitatis predicte debeant ac consueverint aliqua salaria recipere pro causis que inter illos ad invicem sub illorum ventantur
examine aut pro sportulis inde latis ipsi tamen in hiis multipliciter abutentes ultra predicta consueta recipiunt salaria a civibus et incolis
supradictis. Et se huiusmodi abusui amplius ingerentes cum debitores interdum deponant in posse curie suas pecunias pro satisfa-
ciendo debite creditoribus eorundem ipsi iudices recipiunt duos solidos pro libra omnium quantitatum que racione predicta in curia nostra
ut predicitur deponuntur. Et licet insuper de causis inquisicionum factarum pro commissis criminibus nisi in certis casibus nichil re-
cipere debeant quilibet tamen de illis et specialiter cum ad transactionem vel composicionem proceditur ab inculpatis salaria recipiunt et
extorquent ex quo sepius curia nostra in iure sibi debito defraudatur. Quocirca nolentes quod dicti iudices premissis de cetero
abutantur volumus ac vobis districte precipiendo mandamus quatenus non permittatis immo fortiter inhibeatis eisdem ne dicti iudices non
assueta huiusmodi et ab antiquo salaria recipiant pro premissis sed salariis assuetis et debitis contententur. Preterea firmiter inhibemus
ne aliquis qui regat officium pro prelato vel nobili vel alio sit eorum domesticus teneat contra constitutiones Cathalonie offi-
cium pro nobis in dicta civitate immo si hoc fuerit tenor et forma constitucionis huiusmodi [illegible]. Vos itaque sic nobis
perficientes cum se ingesserit ut de eis possimus debite confidere. Data Valencie tercio nonas Septembris anno
domini millesimo CCC° xx° nono.

33

Es trāmiada en lo libre verd en carta cclv

1329